

decis. 459. in antiq. alias 3. *de Offic. legat.* et alibi pluries.

64. *Sicut et capitulum sede vacante, etsi istud nequeat sibi unire beneficia.* — Resp. V. Capitulum Sede vacante, utpote succedens in ordinaria jurisdictione episcopali, pariter succedit episcopo in potestate faciendi uniones: dummodo per has juri episcopali nihil detrahatur. Rebuffus, loc. cit. n. 36; Garcias, n. 67; Hojeda, d. n. 7; Pirhing, n. 207. et alii; et concordant dicta superius n. 34. Quamvis capitulum Sede vacante non possit suppressimere quodcumque beneficium, illudque sibi unire, arg. Clem. *Si una*. § fin. *de Rebus Eccles. non alienand.* ac censuit sacra congregatio concilii, relata per Garciam, loc. n. 68. Neque enim potest quis auctorizare in facto proprio: sicut et nullus potest esse iudex in causa propria, l. un. c. *Ne quis in sua causa*, etc.

65. *Unire beneficia, an possit vicarius generalis episcopi?* — Resp. VI. Vicarius generalis episcopi unire non potest beneficia sine speciali mandato, arg. cap. ult. *de Offic. vicar.* in 6. Ubi is neque beneficia conferre potest, nisi horum collatio ipsi specialiter fuerit commissa. Rebuffus, n. 37, Hojeda, d. n. 7; Garcias, n. 69. et alii.

66. *Aut id possint alii praelati episcopo inferiores?* — Resp. VII. Praelati caeteri episcopo inferiores, puta abbates, priores, beneficia unire non possunt sine assensu proprii episcopi; juxta textum apertum in c. *Sicut unire*. 8. *de Excessib. praelat.* Intellige, nisi ex speciali privilegio, aut praescriptione legitime completa, istud eisdem competere dignoscatur: nam jura episcopalia inferiores praescribere non prohibentur, c. *Auditis*, 15. *de Praescription.* Hojeda, ubi supra, et alii.

67. *Quae solemnitates requiruntur ad faciendam unionem beneficiorum? Ad hanc requiritur causa justa, et praevia cognitio de veritate ejus.* — Queritur III. Quenam condiciones, sive solemnitates, requirantur ad faciendam unionem beneficiorum? Resp. I. Praeter legitimam facultatem beneficia uniendi, etc. proxime explicatam, prima conditio, seu solemnitas requisita ad faciendam rite unionem beneficiorum, est causa justa et praevia cognitio de veritate ejus, arg. c. *Exposuisti*, 33. *de Praebend.* et Clem. *Si una*. 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* juncto concilio Tridentino, sess. 7. cap. vi. *de Reform.* Ubi dicitur, « quod uniones perpetuae, quae deinceps ad cujusvis instantiam fiant, nisi eas ex legiti-

mis, aut alias rationabilibus causis, coram locis ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentae praesumantur: ac propterea, nisi aliter a Sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. » Haec ibi. Quod ipsum tradunt Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Unionib. beneficior.* n. 43 et 44; Hojeda, cit. part. II. *de Beneficior. incompatibilit.* cap. III. n. 9. Pirhing, tit. *de Praebend.* n. 210. et alii passim.

68. *Adeo, ut si Papa unionem faciat, de causa inquiri debeat in partibus. Non tamen ad eam requiritur tractatus. Unio beneficiorum est quaedam alienatio non tamen vere et proprie dicta.* — Et hoc adeo verum est, ut si etiam Papa unionem beneficiorum fecit, requiratur, quod de causa inquiratur in partibus: alias unio non valebit, juxta reg. 22. Cancellar. *de Unionibus*, etc. Quanquam non requiri alium solemnem praevium tractatum ad ejusmodi unionem, censeat Garcias, d. part. XII. cap. II. n. 146. citans Rotam decis. 1. *de Rebus Eccles. non alienand.* in antiq.; Rebuffus, d. tit. *Regula de Unionib.* gloss. 11. n. 2; Sanchez, lib. VII. in *Decalog.* cap. xxix. n. 172; Pirhing, tit. *de Praebend.* n. 310, et alii. Licet enim unio Ecclesiarum sit veluti alienatio quaedam, c. *Tua nuper*. 8. in fin. *De his quae fiunt a praelat.*, non tamen habet rationem verae, ac proprie dictae alienationis; uti notant praecitati Auctores, arg. Clem. 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* ubi ad unionem Ecclesiarum, per episcopum faciendam, sufficit consensus capituli sui: neque opus est vocare rectorem, aut vacante Ecclesia constituere defensorem, quod tamen requiritur ad alienationem proprie dictam, cap. I. eod. in 6. cum similibus. Concordant dicenda inferius n. 81.

69. *Causa justa uniendi beneficia, quotuplex et quae?* — Caeterum causa justa uniendi beneficia, in specie potest multiplex occurrere, atque assignari: generatim tamen ea reducitur ad duplicem, nempe ad evidentem Ecclesiae necessitatem, vel utilitatem, juxta textum notabilem in c. *Exposuisti*, 33. *de Praebend.* ibi, « Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, praebendas Ecclesiae tuae poteris de capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentare, » etc.

70. *Unio beneficiorum non est actus omnino voluntarius, sed quasi necessarius.* — Atque per hoc inferunt doctores, et signanter Abbas, c. *Sicut unire*, n. 6. *de Excessib. praelat.*

quod unio beneficiorum, utpote facienda evidenti Ecclesiarum necessitate, vel utilitate, non sit actus omnino voluntarius, sed quasi necessarius: sive, ut loquitur Garcias, part. XII. *de Benefic.* cap. II. n. 210. unio magis concernat justitiam, quam gratiam: adeo, ut ex causa, praesertim necessitatis, teneatur episcopus unionem facere; et si recusaret, possit adiri superior, arg. *Nullus laicus*, 17. *de Jurepatronat.* ac notat etiam Rebuffus, cit. tit. *de Unionib. benefic.* n. 42.

71. *Si fiat sine causa, vel ex causa falsa, tunc ea est nulla. Et an sit nulla ipso jure?* — Quod si vero unio beneficiorum fiat sine causa, vel ex causa falsa, et a parte rei non subsistente, etiam servata caeteroquin forma juris; tunc ea est nulla ipso jure, arg. cit. c. *Exposuisti. de Praebend.* ac notat Garcias, loc. cit. n. 113. Hojeda, d. part. II. *de Beneficior. incompatibilit.* cap. III. n. 13 et 16. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 66. n. 16. pluresque alii ab istis citati: contra Rebuffum, in *Praxi Benefic.* tit. *Regula de unionibus.* Gloss. 9. §. *Secundus*, et nonnullos alios, quos in oppositum citat Hojeda, d. cap. III. n. 17. quidque volunt, unionem ex causa falsa factam, non esse ipso jure nullam ac irritam, sed irritandam, seu declarandam, quod sit nulla; sicque episcopum successorem non posse conferre beneficium taliter unitum ante dictam declarationem.

72. *Ad unionem faciendam debent citari omnes interesse habentes, eorumque consensus requiri: ut praelatus, cui subjecta est Ecclesia unienda.* — Resp. II. Altera conditio, seu solemnitas ad legitimam beneficiorum unionem requisita, consistit in hoc, quod omnes interesse habentes ad eandem faciendam citentur, eorumque consensus requiratur. Idque merito: Ne forsitan caeteroquin cuiquam ignorantem, atque invito, grave damnum in suis juribus inferri contingat. Sic, quando Ecclesia est subjecta abbati, vel alii inferiori praelato, non potest episcopus eam unire absque illius consensu; prout liquet ex Clem. 1. § *Ad haec. de Statu monach.* ibi: « Cum consilio, et assensu abbatum, per locorum ipsorum Ordinarios uniantur. »

73. *Collator, vel electores ipsius episcopo inferiores.* — Similiter, quando beneficium uniendum pertinet ad collatorem, vel electores episcopo inferiores, etiam isti antea sunt vocandi, eorumque consensus requirendus: quia, cum beneficium post unionem amplius

non sit vacaturum, ipsi amittent jus conferendi, vel eligendi ratione unionis. Rebuffus, cit. tit. *Regula de unionib.* Gloss. 11, n. 1 et 7; Garcias, d. part. XII, cap. II. n. 202. cum aliis.

74. *Patronus, quando Ecclesia unienda est patronata. Unio sine consensu patronorum laicorum, est invalida.* — Insuper ad unionem rite faciendam requiritur vocatio, et consensus patroni, quando Ecclesia unienda est patronata, seu pertinens ad juspatronatus alicujus inferioris Rebuffus, ubi supra, n. 6; Garcias, n. 202; Barbosa, cit. allegat. 66, et alii passim. Idque desumitur ex c. *Pastoralis*, 7. *de Donationib.* juncto concilio Tridentino, sess. 24. cap. xv. *de Reform.* ibi: « Cum patronorum consensu. » Accedit ratio, quia patronus habet interesse in unionem beneficii: et si haec fieret ipso inscio, vel invito, inferretur ipsi praedictum; cum per unionem illam jus praesentandi cesset, atque extinguatur. Unde, quod Rota pluries tenuerit, unionem beneficiorum factam sine consensu patronorum laicorum esse invalidam, refert Garcias, cit. part. XII. cap. II. n. 205 et seqq. et favet concilium Tridentinum, sess. 7. cap. vi. *de Reform.*, statuens, quod uniones viribus omnino careant, « nisi eas ex legitimis causis, coram loci ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit. »

75. *Et quid dicendum de patrono ecclesiastico?* — Et hoc de jure commune procedit, sive patronus sit laicus, sive ecclesiasticus: de facto tamen istud praecipue locum habet loquendo de patrono laico, ob novam dispositionem ejusdem concilii Tridentini, sess. 24. cap. xv. *de Reform.* ibi: « Cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint. » Nam ponderando verba illa, « si de jurepatronatus laicorum sint, » concilium a sensu contrario concedere intelligitur, unionem in casu cit. cap. xv. posse fieri per episcopum absque consensu patroni Ecclesiastici. Barbosa, d. allegat. 66, n. 31, post Sanchez, lib. VII. in *Decalog.* cap. xxix, n. 185.

76. *Plebs non debet vocari ad unionem beneficiorum: audiretur tamen, si allegaret causam impeditivam ipsius.* — Caeterum plebs non debet vocari ad faciendam unionem beneficiorum, haud obstante, quod aliquo modo sua interesse videatur: sed episcopus proterget plebem, quae aliquando nesciret: quid peteret. Rebuffus, cit. tit. *Regula de unionib.*

Gloss. 11. n. 11. illico tamen recte subjungens, quod etiam plebs audiretur, si causam rationabilem allegaret impeditivam unionis, arg. c. *Si quis presbyterorum*. 6. juncta Glossa, §. *Personis. de Rebus Eccles. non alienand.* Item tradit Garcias, cit., c. II, n. 219 et 220. et Hojeda, ubi supra, cap. III, n. 9 et Pirhing, tit. *de Præbend.* n. 240.

77. *Ad unionem per episcopum faciendam, requiritur consensus capituli cathedralis.* — Resp. III. Tertia conditio, ad unionem per episcopum faciendam requisita, est consensus capituli videlicet cathedralis. Textus est in c. *Pastoralis. 7. de Donationib.* ibi: « Sed ut episcopi donatio (seu unio Ecclesie pio loco facta) sit legitima, consensus est sui capituli requirendus. » Concordat Clem. 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* ibi: « Suo consentiente capitulo uniatur: » ac notat Glossa, ibid. §. *Consentiente.* Abbas, c. *Sicut unire*, n. 2, *de Excessib. prælat.*; Hojeda, c. 3, n. 9; Garcias, d. part. XII. cap. II. n. 145. allegans Rotam in Segoviens. præstimonii, de anno 1580, habeturque decis. 133. part. II. *Divers.* et alios. Additur tamen ly. « ad unionem per episcopum faciendam, » etc. propter dicta superius n. 29.

78. *Quid juris, si capitulum, vel alii, quorum interest, consentire noluit?* — Quod si capitulum, vel alii, quorum interest, sine justa causa consentire nolint, poterunt compelli per superiorem: imo, quando evidens causa necessitatis subest, potest ipsis etiam invitis unio fieri, præsertim a Papa. Rebuffus, d. tit. *Regula de unionibus*, Gloss. 11, n. 3; Azorius, part. II. lib. VI. cap. XXVIII. quæst. 12; imo et ab Episcopo; Pirhing, tit. *de Præbend.* n. 240; et Sanchez, lib. VII. in *Decalogum*, cap. XXIX, n. 163. Quamvis sufficiat, consensum capituli intervenire etiam post unionem, arg. c. *Cum nos*. 3. *De his quæ fiunt a prælat.* ac notat Rebuffus, loc. cit. n. 20; Pirhing, d. n. 240; Garcias, ubi supra, n. 147, allegans Rotam cit. decis. 133. n. 9. pluresque alios.

79. *Ad valorem unionis beneficiorum non requiritur consensus rectoris Ecclesie vel hac vacante defensoris.* — Quæritur IV. Utrum ad valorem unionis beneficiorum, etiam requiratur consensus rectoris Ecclesie? Resp. Negative. Siquidem rectori illi non præjudicatur in aliquo, sed ipse manet rector illius Ecclesie, seu beneficii, ut antea: neque enim talis unio totalem effectum suum habebit, nisi post mortem, vel amotionem illius rectoris, arg. c. *Consultationibus. 4. de Donatio-*

*nib.* ac notat Glossa, in Clem. 2. §. *Vocatus.* et Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. 4. *de Rebus Eccles. non alienand.*; Pirhing, eod. tit., n. 8; Rebuffus, cit. Gloss. 11, n. 8; Garcias, d. cap. II, n. 216, post Rotam cit. decis. 133. et alios. Quin etiam, quando vacat beneficium uniendum non necessario constituendus est defensor ipsius hujusque consensus requirendus. Patet hoc utrumque ex Clem. 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* ubi dicitur: « Si una Ecclesia alteri Ecclesie seu dignitati alicui, vel præbendæ per episcopum, suo consentiente capitulo uniatur, aut religioso loco donetur, ex eo quod rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, defensor eidem super hoc datus non existit, nequaquam id poterit impugnari. » Hæc ibi.

80. *Bene tamen pro dismembratione Ecclesie: et quæ disparitas?* — Dices. In c. *ad audientiam. 3. de Eccles. ædificand.* pro dismembratione Ecclesie parochialis expresse requiritur vocatio, et consensus rectoris; ergo idem dicendum de unione Ecclesie parochialis, vel alterius beneficii cum alio, vel alia. Resp. neg. consequent. et paritatem. Siquidem dismembratio Ecclesie parochialis, vel alterius Beneficii, statim in vita prioris rectoris habet suum effectum: atque ideo, cum subintret præjudicium rectoris, seu diminutio reddituum ipsius antea is vocandus est, ejusque consensus requirendus: quantum, si irrationabiliter consentire recuset, eo etiam invito possit ob numerositatem populi nova Ecclesia parochialis erigi, sicque prior Ecclesia dismembrari, juxta concilium Trident., sess. 21, c. 4, *de Reform.* junctis dictis n. 78. Secus dicendum de unione unius Ecclesie, vel beneficii cum altero: hac enim non obstante prior rector retinebit ecclesiam, seu aliud beneficium cum omnibus, sicut antea, cit. c. *Consultationibus. 4. de Donation.* estque proxime dictum: unde, quia nullum ipsi infertur præjudicium, saltem considerabile, non est ratio, cur necessario sit vocandus ad unionem faciendam, ejusque requiratur consensus. Barbosa, in cit. Clem. 2. n. 4. *de Rebus Eccles. non alienand.*

81. *Cur in alienatione rerum Ecclesie vacantis constituendus sit defensor, non item in ejus unione cum alia.* — Urgebis. Saltem vacante Ecclesia dandus est eidem defensor, hujusque consensus requirendus, antequam uniatur alteri, sicque supprimatur, arg. cap. 1. *de Rebus Eccles. non alienand.* in 6. ubi non valet alienatio de rebus Ecclesie vacantis, si

fiat non constituto prius legitimo defensore ipsius: nam, quod perpetua concessio, seu unio ecclesiarum, pertineat ad alienationes, patet ex c. *Tua nuper*. 8. juncta Glossa fin. et doctoribus ibid. *De his quæ fiunt a prælatis*, etc. Resp. hanc esse difficilem instantiam, in cujus solutione multum laborant doctores; prout videre est apud Barbosam, loc. cit. a n. 9, usque ad n. 14. diversas responsiones afferentem. Breviter tamen dicitur, disparitatem esse inter alienationem rerum Ecclesie, et inter alienationem, sive unionem totius Ecclesie: ibi enim semper intervenit præjudicium Ecclesie, seu rectoris sui, cujus bona, sive redditus diminuuntur; simulque fit vera, et proprie dicta alienatio: ac proinde merito requiri debet consensus rectoris, atque vacante Ecclesia defensor constituendus est. Hic autem, sive in unione duarum ecclesiarum, seu beneficiorum, neutrum contingit: nam, ex quo duæ Ecclesie simul uniuntur, inferior, seu unita alteri principali, participat hujus privilegia, et jura; sicque potius perficitur, atque exaltatur; unde nec intervenit proprie dicta alienatio, ut jam dictum n. 68. Rector quoque, cum post unionem habeat proventus utriusque Ecclesie (excepta congrua portione vicario Ecclesie unitæ constituenda) nihil detrimenti patitur in redditibus suis, sed re ipsa capit incrementum: unde merito nec opus est hujus speciali consensu, neque defensore vacanti Ecclesie constituendo.

82. *Plus resistit jus commune dismembrationi bonorum Ecclesie, quam unioni totius Ecclesie; et cur?* — Accedit alia ratio disparitatis. Quia in alienatione, seu dismembratione bonorum Ecclesie, subesset periculum præjudicii, Ecclesie aut rectori ipsius inferendi, nisi antea vocaretur, atque consentire deberet rector Ecclesie, vel (hac vacante) constitutus defensor ejus: hi duo quippe præ cæteris melius cognoscere censentur bona, et redditus ejusdem, et quantum ex his absque notabili cujuspiam præjudicio alienari, seu dismembrari possit. Secus dicendum in alienatione, seu unione totius Ecclesie, sive beneficii, omniumque reddituum ipsius, ob rationes n. præcend. allatas. Unde non mirum, quod ad evitandum tale periculum præjudicii inferendi, fortius resistat jus commune alienationi, et dismembrationi bonorum Ecclesie; atque ad eam requiratur vocationem, consensumque rectoris, aut (vacante Ecclesia) constituti defensoris

ipsius, juxta cit. c. 1. *de Rebus Eccles. non alienand.* in 6. Minus autem resistat alienationi, seu unioni totius Ecclesie (cæteroquin tamen factæ ob evidentem necessitatem, vel utilitatem) neque ad hanc requiratur consensus rectoris, aut defensoris ejus, in cit. Clem. eod.

83. *Unde habetur casus, in quo minus prohibetur, ubi majus permittitur. Et fallit regula illa: Qui potest totum, potest et partem.* — Hinc notat Glossa in cit. Clem. 2. §. *Defensor.* quod impræsentiarum habeatur casus, in quo minus prohibetur, ubi majus permittitur. Potest enim Ecclesia tota dari sine rectore. c. *Consultationibus. 4. de Donation.* aut (si vacat) sine defensore. cit. Clem. 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* Non vero potest sic dari res Ecclesie, cit. cap. eod. in 6. Proinde non valet dicere: « Qui potest totum, potest et partem; » cum pars in toto contineatur, juxta reg. 80. juris in 6. Fallit enim hæc regula, ubi jus fortius resistit parti, quam toti, ob majus periculum. bi reperitur, aliasve speciales rationes; uti fit in proposito.

## § IV.

## DE PENSIONIBUS, HARUMQUE CONSTITUTIONE.

84. *Utrum non obstante rubrica præsentis tituli pensiones in collatione beneficiorum reservari possint? Pensio clericalis, quæ?* — Quæritur I. Utrum non obstante rubrica præsentis tituli, pensiones in collatione beneficiorum reservari possint? Ubi sciendum, quod nomine « Pensionis clericalis, seu ecclesiasticæ, » de quo solummodo impræsentiarum est sermo, intelligatur jus percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio, auctoritate superioris ecclesiastici cuipiam clerico justa de causa constitutum: de qua, et an, sit beneficium ecclesiasticum, ex professo dictum est supra tit. V. *De Præbendis.* § 3. n. 85, 86. et seqq.

85. *Pensio hujusmodi potest imponi vel personæ beneficiarii, vel beneficio: et hoc adhuc dupliciter.* — Cæterum hujusmodi pensio potest imponi vel beneficio, vel personæ beneficiarii gravati. Hoc posteriori modo intelligitur pensio constituta, quando ea imponitur soli personæ clerici gravati: ita nimium, ut beneficiarius, quandiu vixerit, seu beneficium tenuerit, debeat alteri certam portionem reddituum annuatim solvere; ad